



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. I. Quænam sit mensura visionis beatificæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

ratione speciei intelligibilis, intellectui beatorum diversimodè applicata ac determinata, juxta exigentiam luminis, ad repræsentandas has potius creaturas quam alias.

Colligitur ex D. Thoma variis in locis: nam hic art. 6. & 7. & 3. contra Gentes cap. 57. reducit diversitatem visionis beatæ ad diversitatem luminis gloriæ. Et quæst. 8. de verit. art. 4. ad 2. recurrit ad diversam applicationem divinæ essentiæ, in ratione speciei, quæ semper comitatur proportionem luminis gloriæ.

106. Probatur etiam conclusio ratione. Principia intrinseca visionis beatæ (id est intra intellectum existentia) sunt lumen gloriæ & essentia divina per modum speciei intelligibilis, intellectui beatorum unita, ut supra declaratum est: Unde cum diversitas cognitionis peti debeat ex principiis intrinsecis ad illam concurrentibus, etiam diversitas videndi has creaturas potius quam alias, sumi debet ex differentia individuali luminis gloriæ, & ex unione essentiæ divinæ, ut speciei intelligibilis, quæ juxta proportionem luminis, plus vel minus se manifestat beatis, & est ratio videndi plures vel pauciores creaturas.

Dico ultimum: Causæ extrinsecæ & remotæ, cur aliqua creaturæ existentes vel futura videantur à beatis, potius quam aliæ, sunt status cujuslibet beati, & voluntas Dei applicans & determinans essentiam divinam in ratione speciei, ad repræsentandum has creaturas potius quam alias.


107. Prima pars conclusionis evidens est: ut enim ostendimus §. precedenti, visio beatæ, cum sit perfectè satisfactiva omnisi desiderij, manifestat beatis omnia quæ pertinent ad proprium illorum statum: Unde cum ad statum cujuscumque beati, aliqua creaturæ in particulari pertineant, ut antea declaravimus, status cujuslibet beati est causa extrinseca, & remota, cur hæc potius quam alia creaturæ in verbo cognoscantur.

Addo quod, sicut charitas recepta in Petro, magis ipsum inclinât ad seipsum amandum, quam alium; & sicut virtus fortitudinis, licet sit ejusdem speciei in viro, & in muliere; inclinât tamen virum ad aggrediendum hostes, non fœminam, quia hoc non decet statum ipsius. Ita etiam lumen gloriæ perficit, & inclinât subiectum in quo recipitur, secundum modum, & capacitatem ipsius; & determinât intellectum beati, ad videndum has creaturas potius quam alias, secundum quod postulat proprius cujuscumque status: Ergo status cujuslibet beati, est causa veluti extrinseca, à qua oritur diversitas videndi in verbo has creaturas potius quam alias.

108. Secunda verò pars, quæ asserit talem diversitatem peti etiam ex libero decreto divinæ voluntatis, divinam essentiam in ratione speciei intelligibilis, intellectui beatorum diversimodè applicantis, evidens est. Cum enim essentia divina, ut gerens vices speciei, non sit ex se determinata, sed indifferens ad repræsentandum has potius quam illas creaturas, debet extrinsecè determinari, & applicari per decretum divinæ voluntatis, ad repræsentandas tales creaturas potius quam alias, iuxta exigentiam luminis gloriæ, & meritum ac statum cujuslibet beati. Et ideo essentia divina vocari solet speculum voluntarium, quia non repræsentat nisi ea quæ Deus vult & ordinat; & nisi ut applicata, & determinata, per liberum decretum voluntatis divinæ: sicut divina omnipotentia non determinatur ad hæc po-

Tom. I.

titus quam illa producenda, nisi ratione ejusdem decreti.



DISPUTATIO VI.

De mensura visionis Beatificæ.

**A**D complementum hujus Tractatus, superest ut de mensura visionis beatificæ disseramus, & durationem per quam illa mensuratur, breviter explicemus. Unde sit

ARTICVLVS VNICVS.

Quanam sit mensura visionis beatificæ?

§. I.

Premittenda ad resolutionem questionis.

**S**uppono primo, visionem beatificam esse omnino invariabilem, & quæcumque videntur à beatis in verbo, non successivè sed simul videri.

Ita docet D. Thomas hic art. 10. & 3. contra Gentes cap. 60. & colligitur ex SS. Patribus: Augustinus enim 15. de Trinit. cap. 16. loquens de visione beatæ: *Non erunt, inquit, volubiles nostre cogitationes, ab aliis in alia cunctis atque redeuntibus; sed omnem scientiam nostram simul uno conceptu videbimus.* Idem docet D. Bernardus 5. de confid. cap. 13. ubi sic habet: *Non enim tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumcumque vehementer intendens, aliquatenus dissiliet, resiliere in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi.*

Eadem veritas significari videtur Isaiæ 6. cum enim dixisset Propheta, quod *seraphim stabant* (scilicet ante thronum Dei) statim subjungit, *sex alæ erant uni, & sex alæ alteri, & duabus volabant:* quæ verba expendens idem Bernardus ferm. 4. de verbis Isaiæ: *Ad quid (inquit) tunc alæ, si stant?* Cui interrogationi sic respondet: **D** Credo autem, sicut in volatu alacritatem, sic in statione immobilitatem promitti.

Probatur etiam eadem suppositio triplici ratione quam habet D. Thomas locis citatis. Prima est, quia beati omnia quæ vident in verbo, vident in unica specie divinæ essentiæ: ea autem quæ videntur in unica specie, videntur simul, & non successivè. Quam rationem etiam tangit D. Bernardus ferm. 31. in Cant. ubi loquens de excellentia divinæ visionis, sic ait: *Ille visio stat, quia forma stat quæ tunc videtur: est enim, nec ullam capit ex eo quod est, fuit, vel erit, mutationem.*

Secunda ratio est. Felicitas perfecta (qualem habent beati in visione Dei) non est secundum habitum, sed secundum actum, ut dicit Aristoteles 10. Ethic. Ergo non unum prius, & aliud posterius, sed omnia simul & semper, secundum actum, & in uno actu videntur à beatis.

Tertia ratio quam etiam adducit S. Thomas locis citatis, sic potest proponi. Unaquæque res, cum venerit ad suum ultimum finem, quiescit, cum omnis motus sit ad acquirendum finem: Sed ultimus finis intellectus, est visio divinæ essentiæ: Ergo intellectus divinam essentiam videns, non movetur ab uno intelligibili in aliud, sed om-

Z. iij

nia quæ per hanc visionem cognoscit, simul actu considerat.

3. Suppono secundo, tres esse mensuras durationis rerum: scilicet æternitatem, ævum, & tempus. Æternitas est mensura rei immutabilis tam secundum esse quam secundum operationes. Ævum est mensura rei immutabilis secundum esse, mutabilis verò secundum operationes, & accidentia quæ potest suscipere. Tempus denique est mensura rei omnino immutabilis, tam secundum esse, quam secundum operationes. Ita docet S. Doctor supra quæst. 10. art. 5. his verbis: *Tempus habet in se prius & posterius: ævum autem non habet in se prius & posterius, sed ei conjungi possunt: æternitas verò non habet prius, neque posterius, neque ea comparitur.*

4. Suppono tertio, æternitatem aliam esse essentialiam, & aliam participatam. Æternitas per essentialiam, est duratio esse omnino indefectibilis, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, unde convenit soli Deo. Æternitas verò participata, est duratio rei immutabilis quidem ab intrinseco, mutabilis verò ab extrinseco, saltem per potentiam Dei, per quam potest destrui ac definere esse, vel aliquam mutationem in se suscipere; & ista potest convenire rebus creatis, divinam immutabilitatem participantibus, ut colligitur ex D. Thoma supra quæst. 10. art. 2. ad 1. ubi ait: *Quando Augustinus dicit quòd Deus est author æternitatis, intelligitur de æternitate participata; eo enim modo communicat Deus suam æternitatem aliquibus, quò & suam immutabilitatem.* His præsuppositis.

5. Inquirimus, quænam ex tribus mensuris jam explicatis, visionem beatificam mensuret? An tempus, vel ævum, aut æternitas essentialis, vel participata? In cuius difficultatis resolutione, quatuor reperio sententias. Prima existimat visionem beatificam tempore mensurari, quia licet ejus duratio sit indivisibilis, & tota simul; illam tamen non intelligimus, nisi per ordinem ad nostrum tempus. Ita Vazquez supra disp. 36. cap. 5.

Secunda docet, illam non mensurari tempore, sed ævo. Sic Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. quem sequitur Suarez in metaph. disp. 50. sect. 6. num. 18.

Tertia contendit, illam mensurari ipsam æternitatem essentiali Dei. Hanc tenent Ferrariensis, Bannes, Navarrete, Biecas, & quidam alij ex Schola D. Thomæ.

Ultima denique, quam alij Thomistæ communiter defendunt, propriam mensuram visionis beatæ, esse æternitatem non essentialiam, sed participatam, affirmat. Ita Capreolus, Cajetanus, Nazarius, Gonzales, Ioannes à S. Thoma, & alij communiter.

#### §. II.

*Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur.*

6. Dico primò, visionem beatam non mensurari tempore. Ita D. Thomas 3. contra Gentes cap. 61. ubi hanc conclusionem multipliciter demonstrat. Primò, quia in hoc æternitas à tempore differt, quòd tempus in quadam successione habet esse, æternitas verò est tota simul: At in visione beata non est successio, sed omnia quæ per illam videntur, simul, & uno intuitu videntur,

ut in prima suppositione demonstratum est: Ergo non mensuratur tempore.

Secundò, Actio non est in tempore, nisi vel ratione principij, vel ratione termini quem attingit: Sed visio beatifica ex neutro capite potest esse in tempore, vel eo mensurari: Ergo tempore non mensuratur. Major constat, sic enim actiones rerum materialium sunt in tempore, ratione principij; actiones verò Angelorum, quando agunt in hæc inferiora, ratione termini. Minor verò probatur: Principium visionis beatæ est intellectus lumine gloriæ illustratus, & ipsa divinà essentia in ratione speciei intelligibilis fecundatus; terminus verò est eadem essentia in ratione speciei expressa, ut constat ex dictis in secunda & tertia disputatione: Atqui tale principium, & talis terminus non subjacent tempori: Ergo visio beatifica, nec ratione principij, nec ratione termini, subjacet tempori.

Tertiò, Anima intellectiva est creata in confinio æternitatis & temporis, ut dicitur in libro de causis; unde ejus actio per quam conjungitur inferioribus quæ sunt in tempore, temporalis est; actio verò per quam conjungitur rebus superioribus quæ sunt supra tempus, æternitatem participat: Sed visio beatifica est actio perfectissima, per quam Angeli, & homines beati, perfectissime conjunguntur Deo, qui est æternus, & supra omne tempus: Ergo illa non est in tempore, sed in æternitate participata: juxta illud Christi Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum.*

Denique probatur conclusio, destruendo fundamentum Vazquezij: Quòd enim nos non intelligamus visionem beatam, nisi per ordinem ad nostrum tempus, non facit quòd tempus sit mensura durationis illius; quia nos non cognoscimus illam durationem per reductionem ad nostrum tempus, tanquam ad aliquid perfectius & simplicius, sed tanquam ad aliquid imperfectius, & nostro modo intelligendi accommodatius. Sicut licet non cognoscamus durationem Angeli, nisi per habitudinem ad nostrum tempus; nec attributa divina nisi per ordinem, & connotationem ad creaturas; non tamen propterea tempus nostrum sumitur ut mensura durationis Angelorum, nec creaturæ, ut mensura perfectionis Dei; quia mensura semper se habet ut aliquid simplicius, & uniformius mensuratò.

Dico secundo, visionem beatam non mensurari ævo.

Probatur primò ex D. Thoma supra quæst. 10. art. 5. ad 1. ubi dicit: *Creature spirituales, quantum ad affectiones, & intelligentias, in quibus est successio, mensurantur tempore, quantum verò ad eorum esse naturale, mensurantur ævo; sed quantum ad visionem gloriæ, participant æternitatem.*

Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Cum enim visio beatifica sit participatio divinæ intellectiois, reddat animam veluti deformem, & modo divino operantem, ac proinde modo simpliciori, & immutabili quàm sit Angelus in suo esse: unde cum diversitas mensuræ durationis rerum, sumatur ex diverso gradu immutabilitatis illarum, ut docet D. Thomas loco citato, visio beata petit mensurari aliquam mensuram nobiliori & uniformiori, quàm sit ea quæ mensurat Angelorum substantiam; ac proinde non mensuratur ævo, sed æternitate participata.

12. Probatur tertio conclusio. *Ævum licet in se sit immutabile, & totum simul, admittit tamen aliquam successione, & aliquas variationes accidentales in Angelo, sive quoad mutationes locales, sive quoad diversos actus, ut dicemus in Tractatu de Angelis: Sed visio beata nullam admittit successione, aut variationem, etiam accidentalem, in ipsa ratione visionis: Tum quia principia ad illam concurrentia, scilicet lumen gloriæ, & essentia divina per modum speciei unita, manent omnino invariata: Tum etiam, quia visio beatifica constituit intellectualem creaturam in ultimo termino, & fine, ac summa beatitudine, quæ non potest amplius proficere nec deficere. Ergo illa non mensuratur ævo.*

13. Addo quod, sicut homo per gratiam viæ, & dona supernaturalia, participat naturam Dei, & ejus attributa; ita & per visionem beatificam, & gratiam consummatam patriæ, immutabilitatem & æternitatem Dei aliquo modo participat, ut docet D. Thomas supra quæst. 10. art. 3. ad 1. ubi ait: *Dicuntur multe æternitates, secundum quod sunt multi participantes æternitatem ex ipsa Dei contemplatione.*

Addo etiam, quod visio beata appellatur vita æterna, non solum quia durabit sine fine, nam hoc modo etiam vita damnatorum erit æterna; sed quia inter res creatas summam immutabilitatem habet, & nullam admittit successione aut variationem in ipsa ratione visionis, & quantum ad operationes per se ad illam consequentes; licet illam admittat quantum ad illustrationes, & revelationes quæ fiunt extra verbum, & quæ per se ad illam non pertinent, sed ad illud genus cognitionis, quæ *scientia infusa* appellatur.

14. Dico tertio: Visio beata non mensuratur æternitate essentiali, sed participatâ.

Probatur primò ex D. Thoma 3. cont. Gent. cap. 61. ubi ait, quod *Visio Dei in quadam participatione æternitatis perficitur.* Et infra subdit: *Essè divine substantiæ in æternitate est, vel magis est ipsa æternitas, visio autem prædicta in participatione æternitatis est.*

15. Probatur secundò hac ratione fundamentali. Quod mensuratur æternitate essentiali, debet fuisse necessariò ab æterno, & esse omnino immutabile ac indefectibile, tam ab extrinseco quàm ab intrinseco: ut enim docet D. Thomas supra quæst. 10. art. 2. *Ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum:* Sed visio beatifica, licet ab intrinseco sit invariabilis & indefectibilis, admittit tamen aliquam mutabilitatem, & defectibilitatem ab extrinseco, tam in genere entitativo, quàm intelligibili: sicut enim illa incepit de novo, ita & potest desinere, si Deus de facto suspendat suum concursum, sicut de facto desit in aliquibus qui in hac vita viderunt Deum, ut de Paulo, & Moysè docet D. Thomas hinc art. 11. Item illa de potentia absoluta potest esse major vel minor, etiam in eodem subjecto; sicut de facto in diversis subjectis una est major quàm altera: Ergo non mensuratur æternitate essentiali, unde cum non mensuretur tempore, vel ævo, ut ostensum est, aliâ mensurâ, præterquam æternitate participatâ, mensurari nequit.

16. Sed quæres primò, An sicut tempus est subjectivè in primo mobili, & ævum in supremo bonorum Angelorum; ita & æternitas participata, in aliquo subjecto, & quodnam illud sit?

Respondet cum Nazario, valde probabile esse

A quod æternitas participata subjectivè sit in intellectu perfectissimi beati, scilicet in anima Christi: sicut enim in genere motuum, motus primi mobilis est mensura cæterorum, quia est simplicior & uniformior; & sicut durationes Angelorû, propter eandem rationem, mensurantur per durationem supremi Angeli; ita probabile est omnes visiones beatas mensurari à visione Christi, quæ cæteris immutabilior, uniformior, & simplicior est, in quantum unica existens complectitur omnia quæ diversis visionibus aliorum beatorum videntur: imò, ut docet D. Thomas supra citatus, ad omnia se extendit, quæ Deus videt per scientiam visionis.

B Quæres secundò, An aliæ formæ supernaturales, ut gratia, charitas, & unio hypostatica, æternitate participatâ mensurentur?

Respondet gratiam & charitatem in duplici statu considerari posse: scilicet in statu imperfecto viæ, ut regulantur per fidem, & cognitionem obscuram; & in statu perfecto patriæ, & prout regulantur à lumine gloriæ, & clara Dei visione. In primo statu mensurantur mensurâ omnino mutabili & temporali, quia trahuntur ad modum imperfectum ipsius subjecti, & sunt in eo amissibiliter; eò quod non repleant totam ejus potentialitatem, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 11. In secundo verò, gratia consummata patriæ, cum sit omnino immutabilis & inamissibilis; &

C amor beatificus, saltem ut tendit in objectum primum, scilicet Deum clarè visum, æternitate participatâ mensurantur; quia ad visionem beatificam consequuntur, & illi conformantur, ac habent eandem cum illa immutabilitatem & indefectibilitatem. Dixi *amor beatificus, ut tendit in objectum primum*: ut enim fertur in objectum secundarium, id est in creaturas quas liberè amat, non mensuratur æternitate participatâ, sed tempore discreto, seu angelico, sicut in statu viæ tempore communi, quia ex hac parte admittit mutabilitatem & successione, quam non admittit visio beatifica, etiam respectu creaturarum quas videt in verbo.

D De unione verò hypostatica, similiter dicendum est, illam mensurari æternitate participatâ, quia est omnino immutabilis, & indefectibilis, multòque intimiùs ac perfectiùs Deo conjungit, quàm visio beatifica, vel gratia consummata patriæ, ut docet D. Thomas 3. p. quæst. 50. art. 2. his verbis: *Gratia unionis per quam divinitas unita est carni, ex sui ratione est magis permanens, quia ordinatur ad unionem personalem, quàm gratia adoptionis, quæ ordinatur ad unionem affectualem.*

E Nec obstat si dicas, istam unionem secum comparam mutabilitatem operationum quas Christus exercebat in natura assumpta, dum erat in statu viæ, & consequenter debere mensurari ævo, quod mensurat rem immutabilem in substantia, & mutabilem in operatione.

Respondetur enim, negando Consequentiam: quia ævum mensurat substantiam immutabilem, quæ est principium, & radix operationum mutabilium; unio autem hypostatica non erat radix illarum operationum, quas Christus dum erat viator exercebat in natura assumpta; illa enim pertinebant ad naturam, quæ est radix, & principium operandi; non verò ad hypostasim, quæ solum est terminus naturæ, nec operatur nisi illa mediante. Addo quod, si hoc argumentum concluderet, probaret unionem hypostaticam mensurari

Dist. 5. art. 4. degress. unica.

17.

18.

furari tempore, non ævo; quia actiones corporales quas Christus in natura assumpta exercebat, dum erat viator, erant subiectæ mutabilitati temporis, & ab illo mensuratae, sicut actiones aliorum hominum.

## §. III.

*Solvuntur objectiones.*

19. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Visio Pauli quam habuit in via, fuit ejusdem rationis cum ea quam modò habet in patria, utpote terminata ad idem objectum, & procedens ab eodem lumine gloriæ, & ab eadem specie divinæ essentia: Sed illa fuit defectibilis, & subiecta mutationi, ac proinde mensurata tempore: Ergo & ista.
20. Respondeo primò, quòd licet visio D. Pauli fuerit ejusdem rationis, quantum ad speciem, & substantiam, cum illa quam modò habet in patria, non tamen quantum ad statum, & modum durationis, quia non fuit data per modum status perfecti & permanentis, sed per modum transeuntis, non tollentis statum viæ. Unde D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. numerat illam inter prophetias, & ad modum prophetiæ, seu coruscationis transeuntis, dicit fuisse communicatam: quare licet illa per accidens, & ratione status, fuerit subiecta mutationi, & mensurata tempore; visio tamen quæ nunc fruitor in cælo, est omnino immutabilis, & indefectibilis ab intrinseco, ac proinde non mensuratur tempore, sed æternitate participatâ.
21. Secundo dici potest, visionem D. Pauli quam habuit in via, fuisse mensuratam æternitate participatâ, sicut illa quam modò habet in patria: quia ab intrinseco, & ex sua natura, erat immutabilis & indefectibilis, quamvis ab extrinseco, & per Dei potentiam, fuerit mutata & destructa; sicut etiam Deus de absoluta potentia mutare potest, & destruere visiones quæ sunt in patria; & sicut ipsa substantia Angeli, quæ mensuratur ævo, potest definere, si Deus voluerit eam annihilare.
21. **O**bjicies secundo contra secundam conclusionem: Ævum est mensura rei immutabilis in suo esse, & mutabilis secundum operationes ei adjunctas: Sed visio beatifica, quamvis sit immutabilis, & indefectibilis in suo esse, est tamen mutabilis quoad perfectiones adjunctas: Ergo mensuratur ævo. Major constat, nam substantia Angeli mensuratur ævo, quia licet sit in se incorruptibilis & indefectibilis, habet tamen aliquam variationem accidentalem, quoad motus locales, & operationes illi adjunctas. Minor verò probatur: Beati non vident statim initio beatitudinis omnia quæ pertinent ad eorum statum, sed de his paulatim, & successivè illuminantur à Deo, ut diximus articulo præcedenti: Ergo visio beatifica admittit in se revelationes & illustrationes, ac proinde mutabilis est quoad operationes illi adjunctas.
23. Respondeo distinguendo Majorem. Ævum est mensura rei immutabilis in suo esse, mutabilis verò secundum operationes illi adjunctas per se, concedo. Illi adjunctas per accidens tantum, nego. Similiter distinguo Minorem: Visio beatifica est mutabilis quoad operationes illi adjunctas per se, nego. Illi adjunctas per accidens, concedo.
- Explicatur: In beatis duo sunt genera operationum: quædam per se consequuntur ad visionem

A beatificam, ut amor, fructio, delectatio; & istæ sunt omnino immutabiles, & indefectibiles ab intrinseco, sicut ipsa visio à qua dimanant. Aliæ verò sunt quæ visioni beatificæ per accidens adjunctuntur, ut illuminationes, & revelationes quæ fiunt extra verbum; quæ, ut supra diximus, per se non pertinent ad visionem beatam, sed ad illud genus cognitionis, quam Theologi appellant scientiam infusam, quæ per accidens ad illam consequitur. Quamvis ergo in beatis sit aliqua mutatio, & variatio accidentalis, quantum ad illustrationes, & revelationes factas extra verbum; quia tamen ipsa visio beata nullam patitur mutationem, quantum ad alias operationes quæ per se ad illam consequuntur, non mensuratur ævo, sicut substantia Angeli, quæ est principium, & radix operationum mutabilium quæ per se ad illam consequuntur, sed æternitate participatâ.

24. **O**bjicies tertio contra tertiam conclusionem: Visio beata habet divinam essentiam loco speciei: Ergo debet mensurari eadem mensurâ quæ illa: Sed essentia divina æternitate essentiali mensuratur: Ergo & visio beatifica.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim essentia divina quæ in visione beatificæ gerit vices speciei, in se mensuretur æternitate essentiali, quia tamen concursus ejus ad visionem, incipit & potest definire, & illa potest ad majorem vel minorem visionem concurrere, quod totum importat aliquam mutabilitatem, saltem ab extrinseco, & in ordine ad potentiam Dei absolutam; ideo visio beatifica mensuratur æternitate participatâ non verò essentiali. Sicut etiam licet Verbum divinum suppleat rationem personæ in humanitate Christi; unio tamen hypostatica, ut supra dicebamus, non mensuratur ipsâ æternitate essentiali, sed participatâ. Tum quia incipit aliquando, & de absoluta Dei potentia potest definere. Tum etiam, quia licet humanitati communicetur existentia divinæ, illa tamen non communicatur ut propria, & homogenea ipsi, sed ut suppleans vices existentia creatæ.

## DISPUTATIO VII.

*De Nominibus Dei.**Ad quæstionem 13. D. Thome.*

**L**icet Deus ineffabilis sit, ipsumque (ut olim dicebat Plato) intelligere difficile sit, loqui autem impossibile: tamen de nominibus ejus breviter hic cum S. Doctore differendum est: Divina enim (inquit Leo Papa) considerationis materia, ex eo quòd ineffabilis est, fundi tribuit facultatem; nec potest deficere quòd dicatur, dum non potest esse satis quòd dicitur. Serm. 4. de Passione.

## ARTICVLVS VNICVS.

*Breviter exponuntur, & declarantur quæ de divinis nominibus, communiter docent Theologi.*

**Q**uæ Theologi communiter docent cum D. Thoma de divinis nominibus, facilia sunt, & deduci possunt ex doctrina quam tradidit Aristoteles 1.